

BERTINORVM, CYRENAEORVM, ALEXANDRINORVM, et illorum, qui e CILICIA et ex ASIA sunt, et interrogantes erant STEPHANVM. Et per hanc SYNAGOGAM illam intelligimus, quae ut supra demonstraui, sumtibus horum quinque *Iudaeorum* generum publicis HIEROSOLYMIS constituta est. Num autem hoc loco προσευχη בית הכנסה l. בית תפלה *domus precatationis et congregationis*, an potius Gymnasium illustre siue Academia בית מדרש uel בית תלמות *domus doctrinae* intelligenda sit, id clarissime apparet e testimonio LVCAE, in STEPHANI historia enarrantis uiros sapientes et doctos surrexisse et cum illo colloquium instituisse. Sane enim hi uiri in *Proseuchis* tantam sibi comparare doctrinam non potuerunt, sed cum VITRINGA ii) et MOSHEMIO kk) illos *Philosophia Scholasticorum*, et altioribus imbutos disciplinis, neo non in lege *Mosaica* instructos fuisse profiteamur.

Sed age iam inquiramus quoque in crimen, quod hi, quos iam recensuimus, STEPHANO obiecerunt, idque ex Hebraeorum antiquitatibus breuiter exponamus. Singularis industria DOCTORVM MISCHNICORVM, qua hi uiri prae aliis gentibus in conseruandis cerimoniis ac ritibus tam sacris, quam ciuilibus, colligendisque maiorum suorum traditionibus inclyti sunt, omnia, quae ad statum populi *Iudaici ecclesiasticum* aequae ac forenses pertinent, ad posteritatis memoriam transmisit. Haec illorum diligentia eximia est, qua nobis triginta sex criminum genera, e sacris litteris collecta, et in codice כריתות *de poenis excidii* insignito ll) coniunctim conscripta reliquerunt, quorum tantum *decima sexta*
lex

ii) l. c. pag. 254.

kk) uid. MOSHEMIUS in *seinen Anmerkungen über Augustin Calmets Btblische Untersuchungen, in der 47. Abhandlung von dem Worte Sela, p. 317.*

ll) Cap. I. §. I.